

no|bis communem secum dederunt, cum praesertim si <sup>270</sup>  
 haec ignoremus, multa nobis et magna ignoranda sint.  
 ac me quidem ut hercule etiam te ipsum Laeli omnis-  
 que avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratio-  
 20 que delectat.' tum LAELIUS: 'non inpedio, praesertim 5  
 quoniam feriati sumus; sed possumus audire aliquid  
 an serius venimus?' (PHIL.) nihil est adhuc disputatum,  
 et | quoniam est integrum, libenter tibi Laeli ut de eo <sup>43</sup>  
 disseras equidem concessero.' (LAEL.) 'immo vero te au-  
 diamus, nisi forte Manilius interdictum aliquod inter <sup>10</sup>  
 duos soles putat esse componendum, ut ita caelum pos-  
 sideant ut uterque possederit.' tum MANILIUS: 'pergisne  
 eam Laeli artem inludere, in qua primum excellis ipse,  
 deinde sine qua scire nemo potest quid sit suum quid  
 alienum? | sed ista mox; nunc audiamus Philum, quem <sup>44</sup>  
 video maioribus iam de rebus quam me aut quam <sup>16</sup>  
 P. Mucium consuli.'

14 Tum PHILUS: 'nihil novi vobis adferam, neque quod  
 21 a me sit <ex>cogitatum aut inventum; nam memoria  
 teneo C. Sulpicium Gallum, doctissimum ut scitis ho- <sup>20</sup>  
 minem, cum idem hoc visum diceretur et esset casu  
 apud M. Marcellum, qui cum eo consul fuerat, sphaeram  
 quam M. Marcelli avus captis | Syracusis ex urbe locu- <sup>103</sup>  
 pletissima atque ornatissima sustulisset, cum aliud  
 nihil ex tanta praeda domum suam deportavisset, ius- <sup>25</sup>  
 sisse proferri; cuius ego sphaerae cum persaepe propter  
 Archimedi gloriam nomen audissem, speciem ipsam  
 non sum tanto opere admiratus; erat enim illa venu-